

M. M. II, 73.

h. 12, II.

X 1876042

DISCURSUS JURIS PUBLICI

De

II R
1536

AUGUSTA,

Quem

Auxiliante DEO

Consensu & Auctoritate

*Magnifici atque Nobilissimi Jurisconsultorum in
Alma Salana Ordinis*

P R Æ S I D E

V I R O

Nobilissimo, Amplissimo, Consultissimo atque Excellentissimo

DN. JOH. VOLK. *Bechman*/

J. U. D. famigeratissimo, P. P. Ordinario longè me-
ritissimo, Consiliario Saxonico, Facultatis Juridicæ & Sca-
binatus Assessore gravissimo, Patrono & Præceptore suo
sempiternum colendo,

Publico Eruditorum Examine subicit

BALTHASAR HENRICUS GEISLERUS,

Milicio - Silesius.

AUCTOR.

Ad diem Novembris

In Auditorio Jctorum

horis consuetis

J E N Æ,

Literis N I S I A N I S, ANNO

MDCLXIX.

C. 33 P. II. p. 23.







I. N. 7.

THESIS I.



Ultas sæpe numero grandesque in Imperio nostro Rom. generari disputarique causas & controversias, optime norunt, qui occupantur in negotiis publicis expediendis, de quibus nemo privatus iudicium sibi sumere nec debet, nec potest, adeo, ut *Hotomannus de Legation. c. 2. n. 33.* asserere non dubitaverit: Ex libris experientiam suam haurientes in publicis nihil recte posse scribere; Et verum est, si de periculosis & incertis Juris publici rebus *Hotomannus* loquitur: Tutius enim de his tacere quam loqui. Et quis iudicium ferre velit super his quorum causa arma potius quam Iudices desiderantur? licet minus recte & utiliter æqui alicujus Iudicis sententiæ armorum & militum præferatur iniquitas. Hinc non recte Jus publicum tractari in Academicis quidam volunt; quia multa in iis dicantur, quæ securius tacerentur. Verum Jus publicum à Cathedrâ Academicâ prorsus & absolute non excludimus, cum principia docere & tradere, non verò decidere periculosa, & in præjudicium alterius quædam statuere, licitum putemus. Nobis materiam, de AUGUSTA defendere placet, quia brevis & minus periculi in se habere videtur, quam Divinâ Gratiâ annuente, brevi subjicimus lineâ.

Th. II.

Sunt quidam Legistæ, qui ingentes Juris nostri publici agros decempedâ legum Romanarum metiuntur, quos solidè refellit *Nobiliss. Dn. Præses in Colleg. Juris publici*. Et ne cum iis Legistis in avia seducar in frontispicio, statim lubet Jus publicum distinguere & separare. Aliud est quod potissimum in tribus libris posterioribus Codicis continetur; aliud, quod in Aurea Bulla, Receptis Imper. &c. hodiè constitutum fuit, juxta utramque acceptationem discursum præsentem institutam, Augustam ratione Juris publici veteris & hodierni consideraturus.

Th. III.

Augustæ verò vocabulum vix ferre Homonymiam putassem, venit tamen eo nomine quoque 1. Augusta Vindelicorum, urbs ob Augustanam Confessionem factis nobilitata, de quâ multum Jus publicum agit, & præprimis *Instr. Pac. Cesar. Suec. art. 5. §. 1.* quam primariam Imperii Civitatem vocat *Reinking. l. 1. cl. 4. c. 20. n. 34.* 2. Reliquæ Civitates ob excellentiam dictæ Augustæ, ut Cæsar augusta, omnium civitatum Hispaniarum splendidissima, Augusta Nemetum in Aquitania *Vid. Cluv. Introd. l. 2. c. 10. c. 12. & l. 3. c. 11.* 3. Adjectivum, ut apud *Reinking. l. 1. cl. 2. c. 9. n. 127.* Augusta Imperii Celsitudo tritis illustrium fundorum occupationibus depressa vilescit. 4. Imperatrix Romana, quam significationem nos volumus & nostram facimus.

Th. IV.

Dicitur verò Augusta non nomine proprio, quod illi in ipso sacri baptismatis actu inditum fuit, sed nomine & titulo honoris, quo Imperator Romanus Augustus

211

audit, quia hæc non tam nomine *arg. l. 8. ff. de Senat.* quam privilegiis Imperatoris sui participat *l. 31. ff. de LL.* Augusti verò Nomen quis primus Imperatorum assumserit vel acceperit, quæritur? Et plerique statuunt cognomen hoc primùm Octavio esse impositum, *Auctore Diome l. 43. & Suetonio in vitâ Aug. c. 7.* Cum enim imperium singulare obtinisset & auxisset, primus Senatûs voluntate Augustus salutatus, dicitur. *Reinking tamen l. 1. cl. 3. c. 11. n. 26. & 27. ait,* quod Julius Cæsar eo nomine usus sit hoc modo: IMPERATOR, CÆSAR AUGUSTUS, & hoc ipsum usu postea accedente, omnibus inviolatum permanserit Romanorum Principibus. Idem adjicit Reinking, quod Cæsar Augustum se dici passus sit, quasi qui major esset homine, quod ea quæ in maximo honore digna & sacra sint, Augusta dicantur. Quod ipsum de Cæsare confirmari potest ex *Vellej. Patere.* qui dicit Cæsarem animo supra humanam naturam & fidem evectum *l. 2. c. 41.* eumque tantas res gessisse, quantas audere vix hominis, perficere verò nullius nisi Dei esse *l. 2. c. 47.* Ideoq; veritati non absolum videtur, Julium Cæsarem prius Augusti nomen assumpsisse, Octavium verò majori cum laude & dignitate à populo & Senatu Romano solenniter accepisse.

Th. V.

Augustum verò alii dici volunt ab augurio, quasi sacrum, veneratione dignum, fortunatum, & bonis auguriis consecratum. *Schneidvv. ad rubr. Instit. de J. & J. n. 7.* Alii malunt ab augendo, ut *Gl. ad proæm. Dig. & Inst.* quam opinionem & nos hîc probamus, quamvis hanc delicatiora nauseent ingenia. Constat enim, quod Imperator teneatur augere imperium sub juramento,

sicut etiam quilibet Rex alius *per text. in c. intellecto. 32. extr. de jurejur.* Unde adhuc hodiè Imperator illo Titulo, semper Augustus, i. e. ut Germanis dicitur: *zu als sen Zeiten Mehrer des Reichs/* utitur. Et olim in coronatione Imperatoris Palatinus Rheni (Nobiliss. atque Excellentiss. Dn. D. Strauch, Professor hujus florentissimæ Academiæ famigeratissimus in suis *Exercit. Exoter. Illustr. Famil. dissert. 3. tb. 4. in fine.* Ludovicum Bajoariæ Ducem hoc munus obiisse ait) præfatus est. Accipe Globum sphericum ut omnes terræ nationes Imperio subjicias & *Augustus gloriosus* valeas appellari. Georg. Theod. Dietrich ad A. B. in verbo: Augustus.

Th. VI.

Atque hæc brevis est vocis Augustæ derivatio. Hoc verò nobilissimum nomen Augustæ olim non simul, ut Imperator creatus erat, Augustique Titulum suscepisset, conjugii communicatum fuisse, sed tum demum, quando Senatui hoc visum, aut Imperatori, probat *Limneus Tom. 1. l. 2. c. 14. n. 10.* Unde dubium oriri posset, An etiam Matri Imperatoris nomen Augustæ tribuendum sit? Quod non negamus, quia & huic Imperator sua privilegia communicat, & *Alex. ab Alexand. Genial. dier. l. 1. c. 2.* Nomen Augustæ etiam Sororibus & Filiabus Principum datum fatetur. An verò in aliis Regnis Reginae vocentur Augustæ meritò dubitamus? quanquam apud *Limneum d. l. 2. c. 14. n. 10.* Gallia Regina appelletur Gallica Augusta; nec fortè usquam apud exteros Reges Augusti Titulus usurpatur, quem & sibi Reginae adsciscerent.

Th. VII.

His itaque præmissis progredimur & consideramus
cau-

causam 1. *Augustam* constituentem, 2. Dissolventem. Illa est matrimonium, cum Imperatore legitime initum. Ubi excludimus Concubinas, quarum usu & frequentia audimus Imperatores Turcarum excellere. Quemadmodum enim consensus non verò concubitus facit matrimonium *l. 30. ff. de R. J. l. 15. ff. de condit. & demonstr.* ita non concubinatus, sed matrimonium facit Augustam.

Th. VIII.

Notamus verò pauca circa matrimonia Principum & cum primis audimus *Brautl. l. 2. c. 8.* qui in Regum Principumque matrimoniis præcipuè observandam esse dicit 1. Paritatem, quæ non tantum consistat in animi donis, quæ Religionem unicam, eandemque pietatem & probitatem respiciunt, sed & in donis externis, familiæ scilicet & potentia, ut ejusdem dignitatis, familiæ, ejusdemque potentia conjungantur. 2. Commoditatem, ut exinde certior confœderatio & amicitia Principatum & Provinciarum conjunctio oriri possit. Quibus consiliis Austriaci Imperatores obsecuti in tantum creverunt in quantum alia domus Principum vix eniti poterit. Quippe Maximilianus I. cum Caroli Burgundi Ducis filia unica Anno Christi 1477. die 18. Augusti, Burgundiam, Brabantiam, Flandriam, & alias provincias Belgicas, quarum hodiè 17. numerantur, sibi & posteritati suæ acquisivit. Ex hoc matrimonio natus Philippus Austriacus, qui ducta in uxorem Ferdinandi Catholici Hispaniæ Regis filia Anno 1496. Fratris & uxoris, & Filio Castiliæ Rege mortuo, heredibus suis Hispaniæ & Castiliæ regna reliquit. Accessit simili planè modo Regnum Portugalliæ, ducta à Carolo V. Emanuelis Portugalli.

gallia Regis relictâ filiâ in matrimoniû, cujus filius Phi-
lippus II. Hispania Rex hæreditatis maternæ jure id ac-
cepit. *Reinking l. 1. cl. 2. c. 9. n. 27.* Imperatorem verò sine
consensu alterius uxorem ducere posse extra controver-
siam est; cum nec opus fuerit aliqua constitutione, ob
quam Imperator teneretur de incundo matrimonio
consensum alterius explorare, quia satis perspicaces jux-
tà & felices fuerunt hætenus Imperatores in incundis
matrimoniis; licet in aliis regnis, puta, electitiis Reges
absque consensu Procerum uxorem vix ducere possint,
ut Rex Polonia: secus verò est in hæreditariis, veluti in
Gallia, ubi pro lubitu Rex ducit uxorem, uti demonstrat
Excellentiss. Dn. Prasfes in d. Coll. Juris publ.

Th. IX.

Dixi quomodo constituatur & fiat Augusta, jam
quibus dignitatibus & juribus gaudeat, dispiciemus. Sic-
uti enim mulieres cæteræ honore & genere Maritorum
nobilitantur *l. 13. C. de dignit. l. 9. C. de Incolis & c. Nov. 105.
c. 2. l. 8. ff. de Senator.* ita & Augusta coruscat radiis & pri-
vilegiis Imperatoris sui *d. l. 31. de LL.* Equidem nun-
quam non Imperatores eam variis honorum generibus
sunt profecuti, quod ipsum & ex usu hodierno & more
veteri patet, ubi Augusta mox Venerabilis, Reverendis-
sima, Serenissima, Piissima, Divina vocatur *l. 3. C. de
quadr. præscr. §. ult. Inst. de usucap. Nov. 8. c. 1. l. 3. C. ubi Se-
nat. vel Clariss.* Hodie ipso Titulo Majestatis, *Ihre
Maytt. die Römische Käyserin* insignitur. Fatendum ta-
men est Imperatorem in Augustam privilegia universa-
liter non concedere aut concedere posse; Ideò videbi-
mus ejusdem Privilegia & affirmativè & negativè.

Th. X.

Th. X.

Illam affirmativè mox videbimus postquam pauca de Coronatione protulerimus. Cujus totum actum hic transcribere nolumus, quia apud *Goldast. in Polit. Imp. part. 1. diff. 14.* videre licet, & juxta rerum gestarum seriem quasi in ipso theatro præfiguret Coronationem Reginae, Annae Austriacae Conjugis Matthiae I. Imperatoris, *Magnificus Dn. Carpzov. de L. R. c. 11. sect. 11.* Hoc tantum addimus, quod illa solennitas Aquisgrani in Ecclesia B. Mariae Aquensis fieri debeat, docente *Limnae Tom. 1. l. 2. c. 14. n. 19. Carpzov. de L. R. c. 11. sect. 11. n. 18.* Non verò adeò multum differunt Coronationes Imperatricum ab Imperatorum, nisi quod in illarum coronationis actu gladios vaginâ contentos, mucronibus terram versus porrectis Electores prætulerunt, & officia coram Imperiali mensâ præstari solita, ipsius Imperatoris, aliique Regii ministri & officiales peregerunt.

Th. XI.

Quemadmodum verò in solenni Imperialis Curiae celebratione Imperator omnibus aliis Imperii Principibus præcedit, ita quoque ipsius Augusta, excepto Rege Bohemiae, de quo quæritur: An in solennibus processionibus præcedat? Et in affirmativam plerique Publicistæ concordant *propter verba finalia A. B. c. 22.* quorum familiam ducit *Limnaeus Tom. 1. l. 3. c. 8. n. 15. Carpz. de L. R. c. 13. sect. 5. n. 8. & Disp. Feud. 5. q. 3. Reinking. l. 1. cl. 4. c. 3. n. 31. Buxtorff. ad A. B. c. 8. conclus. 84.* Obstare tamen videtur, quod dicitur *c. 26. A. B. in fine.* Imperatricem vel Reginam Romanorum suis augustalibus amictam insigniis Regem vel Imperatorem Rom. immediatè sequi debere. Verum respondet *Limnaeus d. l.* hoc

B

ipsum

ipsum quidem in Exemplari, quod ex Archivis Palatinis
Juris publici factum est, ita ad literas habere; In aliis verò
correctioribus editionibus, puta, Cujacianâ, & Recessi-
bus Imperii præfixâ, alio & planè *cum c. 22. A. B.* conve-
nienti sensu hæc legi verba *c. 26.* Imperatrix vel etiam Re-
gina Romanorum suis augustalibus amicta insigniis
post Regem vel Imperatorem Rom. ac etiam post Re-
gem Bohemiæ, qui Imperatorem immediatè subsequi-
tur, ad locum sessionis procedat. In cujus Exemplaris
sensum etiam Germanica versio consentit: *Nach dem
Römischen Käyser oder König / und auch nach dem König
von Böhmen / so dem Käyser ohne Mittel stracks folget etc.*
Quod si prior ista Scriptura verior, dicendum erit, *ait
Limneus*, Regem Bohemiæ Imperatorem immediatè se-
qui *d. c. 22.* quando scilicet Imperatrix processione non
adest. *d. c. 26. in fine.* Hodie quia Imperatores etiam si-
mul Reges Bohemiæ sunt, controversia hæc in inutilem
videtur abire disceptationem, cum indubiè ab Impera-
tore secunda in Ordine procedat Imperatrix, sicut etiam
die solennis Curia statim sedem suam, mensamque tri-
bus tamen pedibus sive gradibus inferiorem à latere
Imperatoris in aula paratam & exstructam occupat. *A.
B. c. 28.*

Th. XII.

Hoc jus præcedentiæ etiam ad Ministros augustæ
extenditur *per A. B. c. 26.* Ubi: suis associata Proceribus,
suisque comitata virginibus procedat. Et in dictâ coro-
natione Reginae Imperatoris Matthiæ I. Conjugis apud
Carpzovium, statim post Nuncium Apostolicum, & Le-
gatos Hispaniæ Ordo Nobilissimarum matronarum, ex-
spectantiumque ministeria Reginae Virginum series se-
ssi-

Titit. Nec non *Lucam de Penna* hoc privilegium *in l. 3. C. de Præpos. Sac. Cub. l. 12* Augustæ ministris probare ait, *Georg. Theod. Dietrich ad A. B. c. 20.* quia & hi, quibus pollent Imperatoris ministri, iisdem privilegiis gaudent. Et olim varia habuerunt beneficia, nempe quod diversa iudicia obire cogi non debuerunt, sed ab observatione aliorum Tribunalium liberati forum apud Magistrum officiorum sortiti fuerunt, actionesque suas coram eodem adversus se propositas exceperunt. *d. l. 3. C. de præpos. sac. Cub. l. 12.* Simile beneficium iisdem exhibet *l. 3. C. ubi Senat. vel Clariss.* quæ illi, cui res privatas Serenissimæ Augustæ Imperator gubernandas injunxit, gratificatur, qui, si fortè ipsi post depositam videlicet administrationem, crimen publicum, privatumve ingeratur, nullius alterius, quam ipsius Imperatoris sese subicere debeat cognitioni; nisi alteri hoc Judicis munus Imperator mandare voluerit, ita tamen, ut tantum cognitio non verò exsecutio patefacti criminis maneat penes Sacrum Cognitorem, ultionis modo in arbitrio Principis residente *d. l. 3. §. 1. C. ubi Senat. vel Clariss.* Ne verò defraudaretur Augusta, idè tenebantur res privatas Augustæ administrari, non tantum Imperatori, sed etiam ipsius Augustæ juramentum deponere, rem ex fide à se gestum iri, ut patet ex ipso jurejurando *in Nov. 8. sub fin.*

Th. XIII.

Alii Augustæ Ministri, ut Comites rerum privatarum, Comites largitionum, Comites domesticorum, curialia munera per substitutos subire possunt post administrationem depositam; quamvis illi, qui speciali privilegio aut lege muniti non sunt & curiæ oneribus obnoxii constituti, licet Augustæ rebus inservierint, à curiali-

bus muneribus non excusentur, sed obligati mancant, cum filiis suis quodocunque progenitis, facultatibusque curiæ commoditatibus inservire *l. 64. & l. 65. C. de Decurion. l. 10.* Aliis ut Præpositis sacri cubiculi Augustæ, qui post finitam militiam senatorio fuerint consortio sociati, licitum fuit, quoties ad adspiciendos agros suos vel aliam ob causam proficisci voluerint, cingulo uti *l. ult. C. de Præpos. sac. cub. l. 12.* An verò etiam Augustæ Ministri patriâ potestate soluti fuerint hîc quæritur? Quod negari vix potest, cum *in Nov. 81. c. 1. §. 1.* dicatur, quod omnis dignitas, & omne cingulum liberet à potestate. Nunc verò ex *d. l. ult. C. de Præpos. Sac. Cubic.* constat, etiam hos cingulo uti potuisse, ideoque propter textus haut obscuros affirmativæ nulli dubitamus subscribere, quia adhuc præterea *arg. l. ult. C. de Decurion. nostræ* adstipulari videtur sententiæ.

Th. XIV.

Hodiè Imperatrix Romana Cancellarium habet Abbatem Fuldensem *R. J. de Anno 1566.* cujus officium est, ut quoties Imperatricem sive Reginam Romanorum coronari aut in veste Imperiali, seu Regia sedere vel stare contigit, ipse coronam, quoties ea more vel ordine poscente, à capite Imperatricis deponenda, eandem deponendi, tenendi & reponendi fungatur officio. Præterea habet etiam Archicapellanus Abbatem S. Maximi ad Treviros, teste *Limneo T. 1. l. 2. c. 14. n. 23. Carpz. de L. R. c. 11. §. 11. n. 11. 12.*

Th. XV.

Ad specialia progredimur porrò beneficia Augustæ, & donationes contemplamur, quæ matrimonio inter conjuges constante prohibitæ sunt *l. 1. ff. de don. inter vir.*

vir. & ux. Nov. 74. c. 4. & l. 3. ff. d. t. Antoninus oratione in Senatu habitâ denuò prohibuit, prohibitionemque confirmavit, adeò ut nec brevi manu donatio inter virum & uxorem valeat *l. 3. §. 13. ff. eod.* Donationes verò quas Imperator in Augustam constante matrimonio confert, vel ipse à Serenissima Augusta per donationis Titulum consequitur, illicò, nullo alio confirmationis tempore expectando, plenæ ratæque habentur. *l. ult. C. de quadr. prescript. circa fin. l. 26. C. de don. int. vir. & ux.* Quod etiam ad alios Principes ob principalis dignitatis excellentiam æquisimè extendit *Gail. l. 2. O. 38. n. 17.* Ne hoc tantum si inter se donationes reciprocent, sed & si Imperator & Augustæ aliis siue sint res mobiles siue immobiles, donent, ratum est, adeò ut ad filium vel filiam familias hujusmodi res pleno jure nullo usufructu penes Parentes remanente, pertineant *l. 7. C. de bon. qua liber.* Et quanquam donationes regulariter insinuatione indigeant, ita ut olim donationes, quarum summa 200. solidos §. 2. *Inst. de donat.* deinde quæ 300. *l. 34. C. de donat.* excederet, non valerent, absque insinuatione, & novissimè donatio 500. solidos superans actis non intervenientibus, etiam deficiat §. 2. *Inst. de donat. l. 36. §. ult. C. eod.* Attamen excipiuntur donationes Imperiales, siue ipse Imperator aut Augusta privatis, siue privati illis donent *Nov. 52. c. 2. l. 34. C. de donat. l. 19. C. de SS. Eccl. l. ult. C. de quadr. prescript.* Rationem ponit *Gail. l. 2. O. 39. n. 25.* quia coram Principe, tot Proceribus & Nobilibus præsentibus nihil occultè & fraudulenter fieri possit.

Th. XVI.

Privilegia insuper Fiscus habet Augusta: *l. 6. §. 1. ff.*

B 3

de

de Jure Fisci. l. ult. C. de quadr. prescript. §. ult. Inst. de usucap. Etenim olim ex D. Marci Edicto res alienatae à Fisco quinquennio usucapiebantur *d. §. ult. pr.* Ex constitutione verò Zenonis *in l. ult. C. de quadr. prescript.* non opus habent usucapione, sed statim fiunt accipientis, ita tamen ut intra quadriennium regressum suum habeant adversus ipsum Fiscum earum domini, aut quicumque quid juris circa eas prætendunt. Si itaque etiam ab Augusta aliquid tale alienatum fuerit res sive mobilis sive immobilis sive se movens sine omni inquietudine in dominio accipientis permanet & actiones, quæ pro iis rebus competunt, adversus venerabilis Augustæ domum institui debent intra quadriennium; elapso verò quadriennio agere volentibus omnem præcludit aditum præscriptio *d. l. ult. C. de quadr. prescr.*

Th. XVII.

Superfunt adhuc quædam Augustæ privilegia, quæ Imperator ipsi tribuit, sc. quod Reverentiam, Immunitates, Vacationes, ut e. g. de vectigale & tributo non solvendo &c. nec non quod simili cum Imperatore utebatur veste, ac statuæ æquè Imperatrici ac Cæsari Romæ ponebantur. Augustus enim Liviæ uxori statuam imaginemque attribuit eo jure ut sacrosancta & inviolabilis foret. Theodosius Imperator Antiochenses severissimè punivit ob Placillæ Augustæ statuam traductam & violatam quod prohibuit *l. 3. C. de stat. & imag. Limnaus l. 2. c. 14. n. 16. Carpz. de L. R. c. 11. s. 11. n. 8.* Nec jus missilium spargendorum Augustæ unquam defuisse demonstrabitur, quo jure inter initia soli Imperatores populo se commendare volebant & ob id seriò sparsionem istam missilium prohibuerunt *l. 2. C. de Cos. l. 12.* Eo jure
tamen

tamen iterum non tantum ipsis Consulibus sed eorundem Conjugibus concessio *Nov. 105. c. 2. pr. & §. 1.* etiam Imperator Augustæ suæ reservasse videtur vel etiam renovasse *arg. d. Nov. 105. & arg. l. ult. C. de quadr. prescript.* Tandem Imperator neminem excipit à ministeriis Augustæ, sed rebus ad ejusdem venerabilem domum pertinentibus solita ministeria omnimodè imperat fieri ab omnibus, nisi qui privilegio aliquo se excusari possint *l. 2. C. quib. muner. excus.*

Th. XVIII.

Quæritur tandem: An etiam crimen læsæ Majestatis in Augustam committatur? Affirmativam plerique amplectuntur, rationibus *ex l. 8. pr. ff. ad L. Jul. Maj. & Nov. 8. c. 1.* aliisque fulcris innitentes. *Limneus* Negativam & cum eo *Wurmserus Exercit. Acad. Exerc. ult. ib. 23.* fovent, qui prior Affirmantium rationes *Tom. 1. l. 2. c. 14. sub fin.* enixè allaboravit contundere, & tùm demum crimen læsæ Majestatis in Augustam vult committi, si intuitu Imperatoris injuria Augustæ fuerit illata. Quæ distinctio non adeò ex sanguis videtur, ita ut Negativam simpliciter veram non esse subindicet. Verum nondum satisfieri videtur Augustæ, cum illa nunquam lædi possit nisi etiam vergat in contumeliam Imperatoris *arg. §. 2. Inst. de Injur.* Dicimus enim nos cum *Magnif. Dn. Carpz. in disput. suis Feud.* Crimen læsæ Majestatis si non in Augustam, tamen in Augustâ committi, quia illa tanquam pars corporis Imperatoris læditur. Nam qui facit honorem uxori, exhibet etiam illum marito, quique injuriam uxori facit, etiam marito eam infert, ait *Bald. ad l. 1. C. de in jus voc. apud Schneidvv. Instit. de Injur. memb. 2. num. 9.*

Th. XIX.

Haecenus affirmativè vidimus privilegia. Negativè paucis subjiciemus postquam Imperatorem ab injuriâ nonnullorum, qui immeritò eundem uxorium & Theodoræ suæ minis indulgentem exponunt, vindicaverimus. Malè verò uxorius dicitur à nonnullis, quia Theodoram in consilium adhibuit *Nov. 8. c. 1.* cum hoc receptitium fuisse & antiquum, Augustas ita à Principe in consilium assumi, *Gothofr. ad d. Nov. 8.* notet, & alii ob singulares Theodoræ dotes ingeniiq̄ue excellentiam Imperatorem Serenissimæ Augustæ consilium commode explorasse, solidè demonstrant. Quippe & suavis Politicorum sæpius utiliter audiat Princeps mulieres, præsertim si quæ à naturâ paulò magis factæ ad prudentiam & virtutem. *Lipsius in Not. ad l. 2. c. 17.* Neque Imperatori in calumniam objici potest, quod publicum aliquod officium suscepturi etiam Augustæ jurare tenebantur de fide præstandâ, quasi ipse Imperator minùs potestatis absque illâ haberet. Nam hoc juramentum non ratione officiorum publicorum in imperio gerendorum, sed ratione rerum privatarum, quæ à Theodora possidebantur, à Comite rerum privatarum, Præposito Sacri Cubiculi, aliisque, non verò ab iis qui ad Rempub. provehendi erant, Augustæ præstandum fuit, ut liquidò constat ex juramento *in Nov. 8. circa fin.* Alii objiciunt quod varias Theodora cum Imperatore condiderit leges, quas fortè nemo adhuc vidit; neque audiendus Bodinus, qui injuriosè scribit de Theodora Augusta, quod omnia beneficia mulieribus adversus maritos tribuerit qui iniquas tum in Imperatorem tum Imperatricem impudentissimè conjicit calumnias; & hæctanquam

quàm ex proprio cerebro nata & efficta non tam facile probabit quàm dicit. Nihil quoque ex Constitutione pragmatica Imperatoris probare possunt; ubi dicitur, quod ea quæ à Theodora Augusta collata sunt, illibata serventur, nulla cuicunque danda licentia contra ea venire. Hæc enim Constitutio non loquitur de Legibus aut Constitutionibus ab Imperatrice datis, sed privilegiis, quæ cum ipso Imperatore communia habet, & supra adduximus; & nullam legem aut Constitutionem ab unâ vel alterâ Augustâ latam reperiri ipse fatetur *Carpz. de L. R. c. 11. f. 11. n. 15.* quamvis opponat leges & Constitutiones Imperatricum quarundam, ut Cambrae, Clotildis, Brunchildis, Zenobiae, Amalasuinthæ, Theodolingæ, Irenæ, Zoæ, Agnetis, in quarum numero nostra Theodora non est; quas leges aut Constitutiones quia non ponit, nec alibi facile legantur, fidem adhuc nostram suspendit. Neque prorsus Vir Magnus Carpzovius Legislatoriâ Augustas habuisse potestatem, sed tantum legum aliquam promulgationem, contendit *d. l. n. 15.* quod ipsum & nos in casu aliquo singulari accidisse negare non possumus. Agnes enim Henrici IV. Mater Filio nondum adulto & ante obitum Patris Principum Electione Romanorum Rege constituto imperium ejus nomine aliquamdiu administrasse dicitur, & sic dubium non est, quin leges aliquas promulgaverit nomine Filii Imperatoris. Sufficit nobis quod nihil contra Imperatorem ejusque Augustam Theodoram solide probari possit, quasi ille uxorius; Hæc verò minus temperans in imperio pariter & conjugio fuerit.

Th. XX.

Tanta verò Augustarum quanta Imperatorum be-

C

nefi-

neficia esse negat *l. 56. & 57. ff. de Legat. 2.* Ubi Legatum Principi relictum, si is, antequam Legati dies cedat, ab hominibus creptus fuerit, nihilominus successori ejus debetur; quod in Augusta non obtinet, quippe si antequam legati dies cesserit, defierit esse, deficit Legatum. Quod Hadrianum Imperatorem in Plotinæ, & Antoninum in Faustinae Augustæ personâ constituisse *d. l. 57. ff. de Legat. 2.* indicat. Rationem depromit *Limnaeus d. l. 2. c. 14. n. 10.* quia quod Principi, id imperio, cui præest, & magis dignitati, quam personæ relictum censetur, uti & illud quod Sacerdoti & Nomophylaci potius templo, quam nominatis personis relinqui putetur *l. 20. §. 1. ff. de Ann. Legat.* Qui respectus in Augusta cessat, quæ sicut privilegia sua & dignitatem ad alios transmittere non potest, ita nec illud, quod ratione hujus dignitatis & privilegiorum nacta est.

Th. XXI.

Attribuimus supra Augustæ Jus præcedentiæ in solennibus Imperii processionibus & Comitibus, quamobrem solliciti sumus, quâ occasione ad comitia proveniat, An personaliter vocetur? Quod sine dubio negatur, cum Fœminæ ad Comitibus vix vocari possint vel recipi. Quod enim Imperatrix compareat in Comitibus, id privilegio Imperatoris habet, qui eandem ad comitia secum producit. In ipsis verò Comitibus celebrandis, & ipso actu sessionis nullum negotium Augustæ superest gerendum; neque ulla auditur in Comitibus personaliter comparuisse Augusta, si excipiamus Agnetem Henrici IV. Matrem, ut habet *Goldast. in præfat. 2. part. Const. Imper.* Curiositas fortasse fuit, non necessitas Imperatricis dum Collegio Imperiali se immiscuit,

Th. XXII.

Th. XXII.

An verò aliquibus legibus soluta sit Augusta dis-
 quirimus? Et negat hoc *l. 31. ff. de LL. & l. 10. C. eod.* quia
 de universalibus loquuntur: Particularibus quæ in ordi-
 ne ad cives aliquid disponunt; ut de re vestiariâ, & hæc
 vel illâ solemnitate in testamentis, aliisque rebus obser-
 vanda, eam solutam censemus. In Regnis & cum primis
 hæreditariis, quæ Foeminam admittunt, dubium non est,
 quia Regina etiam legibus positivis sive à se latis soluta
 sit. Namque & hæc leges à se conditas dissolvere, vel si
 quid in iis ambiguum visum fuerit, interpretari potest.
 Quanquam etiam Imperio ipsius reverà majus esset, legi-
 bus submittere principatum per *l. 4. C. de LL. & servare*
leges quibus soluta esse videtur l. 23. ff. de Legat. 3. l. 3. C.
de testament. §. ult. Inst. quib. mod. test. infirm.

Th. XXIII.

Causam, quæ constituit Augustam, *supra thesi 7.* ap-
 posuimus. De dissolventibus uno quasi verbo agimus,
 nempe quod

Pallida mors aequo pulset pede pauperum tabernas

Regumq; turres — — — — —

Horat. l. i.
 Od. 4.

& non magis privatum quam publicum & Imperiale
 solvat conjugium. Augusta tamen defuncto Imperato-
 re dignitatem adhuc retinet, donec in alterius consen-
 tiat matrimonium *arg. l. 22. §. 1. ff. ad municip. l. 8. ff. de*
Senat. l. 13. C. de dignit. Divortia quoque olim apud Ro-
 manos frequentia in privatis simul, & publicis fuisse per-
 sonis, exempla edocent. Primus Imperatorum Roma-
 norum, primus quoque divortii initium fecit Julius Cæ-
 sar, qui in Corneliæ defunctæ locum ducens uxorem
 Pompejam, Q. Pompeji filiam, eamque adulteratam o-

pinatus à P. Clodio per divortium rejecit. *Suet. in vitâ
Jul. Caf. c. 6.* Sic & ab Augusto Claudiam Scriboniam-
que repudiatam refert *Idem Suet. in vitâ Augusti, c. 62.*
Nec minus frequentarunt divortia Gallorum Reges,
velut Carolus VIII. qui Margaritam Maximiliani I. Im-
peratoris Filiam repudiavit, & Ludovicus XII. aliique.
Quinam si hodiè inter ipsum Imperatorem Augustam-
que aliqua glisceret controversia, se Judices sistant, no-
strum non est hic inquirere, dubium tamen non est,
quin diligentissimi Compositores adessent Consiliarii,
aliique Viri fide clarissimi. Talis matrimonialis Con-
troversia exemplum occurrit in Ottone III. Imperatore,
ipsiusque Augusta, Maria Arragonia, cujus libidines &
adulteria multi accusant. Quamvis non sunt nulli, qui
fidem non adhibent illis, quæ de Comite Mutinensi per
calumniam adulteræ occiso, & ab uxore ejus vindicato,
ipsaque Mariâ combustâ, Historicorum referunt monu-
menta; Inter quos est *Henricus Bæclerus in Comment.
Germ. Caf. in Ottone III.* qui hæc fabulis propiora existi-
mat, cum Auctorum scripta ibidem conferens, multum
Auctores inter se discrepantes inveniat: Attamen sunt
alii, ut Sigonius, Lipsius, Historici non contemnendi,
qui hoc exemplum non projectitio allegant. Quæ verò
hactenus diximus, num etiam in Imperatoris Matre, Au-
gusta obtineant non ambigimus *arg. Nov. 105. pr. c. 2.*
cum hæ sæpius Minorennium filiorum fideles Tutrices
felicesque imperii administratrices legantur, donec filii
ad ætatem perfectam pervenerint.

Th. XXIV.

Hæc itaque, Candide Lector, si quædam minus
curatè scripsi, corrige benigniore limâ. Primitiæ hæ
meæ

meæ sunt & satis crudæ, emolli has iudicio benevolæ,
& obsequiosum me enixissimè habebis. Tibi, summe
DEUS, pro assistentia tua & adiumento sit laus &
gloria in infinitum.

COROLLARIA.

I.

*An rectè à nonnullis Capitulationes cum
Lege Regià Romanorum comparantur? N.*

II.

An Recessus Imperii sint leges? D.

III.

*An ab Electoribus plures missi Legati
cum omnimodà potestate ad suffragium feren-
dum singuli admittendi? N.*

IV.

*An Capitulatio sit Lex an Conventio?
Posterius Aff.*

V.

Nuncius & Legatus non differunt.

VI.

*An Legati Imperatorum, Regum, Princi-
pum,*

C 3

pum,

*pum, sint soluti legibus Civilibus exterorum,
ad quos mittuntur? A.*

VII.

*An Plebejus adoptatus à Nobili fiat No-
bilis? N.*

VIII.

*An natus ex Patre Nobili, matre verò
ignobili, Nobilis dicatur? Aff.*

IX.

*An ab Episcopo Bambergensi Electores Se-
culares sua officia, v. gr. Archidapiferatum,
postulare debent? N.*

X.

Doctōratū non solvitur patria potestas.

HÆc tua Semideūm *augusto* fulgore renidet
Pagina, deducis nostro plaudente Lyceo
Aonas ad montes Divorum à sanguine natas
Has *Heroinas*. Cupidus sic fortiter urge,
Promeque queis veteris Masuri rubrica triumphat.

*Pereximio Dn. Autori
gratulat.*

**Johann Volk. Bechman/ J. U. D.
& Prof. Publ. ordinar.**

Eiu

In Sinn/der Feuer hegt/ läßt seine Blut-Gedancken
Nicht durch die düst're Junfft gebückter Seelen wank-
cken/

Er reisset aus Ihm selbst/bricht durch/biß er ersieht
Wo seiner Mühe Preis/erhabne Tugend/blüht.
Die Göttlichkeit gebührt. Bethrönte Häupter müssen
Durch sein Gesetz und Rath/ von ihm sich lassen schliessen
Und Ihrer Majestät Beweißthum ziehen auff
Und Zeugnis bringen für. Der werthen Geister Lauff
Führt Ihn auch mit sich fort/ Herr Geißler/ was er schreie-
bet

Wird unserm Saal Athen auch rühmlich einverleibet.
Des Reiches Mehrerin legt ihm Ihr Rechtbuch für
Sie stelt ihn neben sich zu ihres Thrones Zier
Und krönet seinen Fleiß. Wir sehn/ ob wol von fernem
Daß er sich würdig macht der hulden Gunst der Sternen/
Sie ziehen Ihn zu sich; Er selber flieg' empor/
Und schwing' sich allgemach auff zu der Götter Kor.

Ihrem geehrten Freunde schriebs
Glückwünschend

Die gesammte Tischgesellschaft.

Weten zwar/die werden Künstler seyn/
Wenn sie durch Lob bis an die Wolcken bringen
Ihr Venus-Volck. Durch des Nasonis singen
Ist Thais noch berühmt. Die Liebespein
Macht/ daß Catull die Lesbie/sein Herz
Sehr hoch erhebt. Wird nicht Sulpis getragen
Von dir/Tibull/biß zu der Sonnen Wagen?
Gall rühmt Lycor. Die Cynthie Properk.

Du

Du aber/ Freund/ dem mich mit festem Band
Und Gott/ und Zeit/ und Tugend hat verbunden
Du hast dich mehr als Dichter unterwunden
Du schreibst von der/ die da das Teutsche Land
Als Fürstin ehrt/ als Göttin betet an.
Und dieses zwar mit klugem Wis. Poeten
Veracht ich nicht/ doch kan sie übertreten
Der da wie du/ zwar Verse schreiben kan
Doch weiter denckt. Du suchest fleißig nach
Was Kayser/ Pabst/ in ihren Rechten lehren
Zu diesem muß noch deine Kunst vermehren
Die güldne Bull. Aus dieser güldnen Bach
Hast du geschöpfft den mehr als güldnen Schein
Der güldenen August/ die deinen Haaren
Mit Kränken winckt. Fahr fort du wirst's erfahren
Laß immerhin Poeten Künstler seyn.

Dieses schrieb seinem werthen und
brüderlichen Freunde

Zacharias Hügel von Prausnitz
aus Schlesien.



Ms. M. II, 73.
h. 12, ii.

A U

DIS

Magnifici

Nobilisimo

DN. JO
J. U. D. fam
ritissimo, Co
binatus A

BALTHAS

LICI

T

II R
1536

Cultorum in


cellentissimo

echman/
io longè me
uridicæ & Sca
ceptore suo

cit

ISLERUS,

Ms. M. II, 73.



Kodak
LICENSED PRODUCT

© The Tiffen Company, 2000

KODAK Color Control Patches

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

